

conducentium quid ab eo, item in bonis suorum officialium, et administratorum, l. I. et II. c. *In quibus causis pignori tacite*, et l. *Aufertur*. 46. ff. *de Jure fisci*, ibi: «Fiscus semper habet jus pignoris,» et l. *Si cum pecuniā*. 3. c. *de Privileg. fisci*. Azorius, loc. cit. § *Nono*. Engel, h. t. n. 3. et communis.

21. *Item minores et pupilli in bonis curatorum et tutorum*. — Quarto pupilli et minores habent tacitam hypothecam in cunctis bonis tutorum et curatorum, l. *Pro officio*. 20. c. *de Administ. tut. vel curat.* ibi: «Pro officio administrationis tutoris, vel curatoris bona, si debitores existant, tanquam pignoris titulo obligata, minores sibi vendicare minime possunt.» *Concordat*, l. *Si mater*. 6. c. *In quibus causis pignus*. Item est de administratoribus civitatis, utpote in quorum bonis civitas tacitam hypothecam habet, arg. l. *fin. c. Quo quisque ordine conven.* Molina, disp. 536. n. 7. ubi advertit hoc magis probari ex eo, quod civitas gaudeat privilegio minoris.

22. *Ecclesia, loca et causæ piæ in bonis prælatis et administratoris*. — Quinto ecclesie, collegia aliæque causæ piæ, quæ jure minorum gaudent, habent tacitam hypothecam in bonis prælatis, vel alterius administratoris rerum ad similes piæ causas pertinentium, Glossa, in c. *Ex litteris*. 7. *Obligata*. h. t.; Abbas, eod. n. 11; Layman, lib. III, tract. IV, cap. xxx, n. 3; Engel, h. t. n. 3; Pirhing, eod. n. 10, et communis aliorum. Quamvis enim id expresso juris textu probari nequeat, optime tamen ex juris ratione deducitur; quia nempe Ecclesie gaudent et fruuntur jure minoris c. 1, et c. *auditis* 3. *de in integr. restit.*

23. *Liberi quoque prioris matrimonii in bonis parentis ad secundas nuptias transeuntis*. — Sexto tacita hypotheca gaudent liberi prioris matrimonii in bonis tam patris quam matris ad secundas nuptias transeuntis, ratione honorum, quæ ad eos ex priori matrimonio pervenerunt, Azorius, loc. cit. § *Septimo*, et alii l. *Hac edic. ali.* 6. § 2. et l. *Si quis prioris*. 8. § 4. c. *de Secundis nuptiis*, ibi: «Veterem sanctionem adimplentes præcipimus exemplo matris, cujus res post secundas nuptias, filiis ex priore matrimonio natis in hypotheca suppositæ sunt, ad conservanda eis lucra, quæ ex priori matrimonio ad eam pervenerunt: patris quoque bona, quæ habet, habiturusque est, filiis ex priori matri-

monio natis, post secundas ejus nuptias ad ea conservanda, quæ ex eorum matre lucrata sunt, supposita esse.»

24. *Sicut et legatarii in bonis a testatore relictis*. — Septimo legatarii, et fideicommissarii tacitam hypothecam habent in bonis a testatore relictis, textu claro § 2. *Instit. de Legat.* et l. I. *Cum hi. c. Communia de legatis*. Molina, loc. cit. n. 12; Engel, h. t. n. 3. et communis aliorum.

25. *Ac pupillus in re ex ipsius pecuniis empta*. — Octavo tacitam hypothecam habet pupillus in rebus ex ipsius pecuniis emptis, Layman, loc. cit. n. 3; Azorius, loc. cit. § *Quinto*. cum communi, textus est in l. *Idemque*. 7. ff. *Qui potiores in pignore*.

26. *Idem mutuas dans pecunias pro reficiendo, etc., ædificio, ipso in ædificio suis pecuniis refecto*. — Nono, qui mutuas dat pecunias pro reficiendo ædificio, tacitam hypothecam habet in ædificio suis pecuniis refecto, Azorius, loc. cit. cum communi, l. I. ff. «in quibus causis pignus vel hypotheca tacit.» Eandem hypothecam habet in re, ad quam emendam, vel conservandam pecunias mutuas dedit, l. *Qui in navem*. 26. et l. *Quod quis*. 34. ff. *de Reb. auct. Jud. possid.*

27. *Venditor in re vendita, dum pretium solvatur*. — Decimo, venditor in re vendita, usque dum pretium ei plene sit solutum, Molina, loc. cit. n. 31. cum communi, l. *Julianus*. 13. § 8. ff. *de Actionibus empti*, et l. *Quod si*, 31. § 8. ff. *de Ædilit. edict.*, ibi: «Nam venditor pignoris loco, quod vendidit, retinet, quoad emptor satisfaciatur.» et l. *Hereditatis*. 22. ff. *de Hered. vendit.*

28. *Locator in rebus in prædium urbanum invectis, vel illatis*. — Undecimo locator in omnibus, a conductore in domum, vel prædium illatis et invectis non tantum pro pensione, sed etiam pro deterioratione rei locatæ tacitam hypothecam habet, Layman, loc. cit.; Engel, h. t. n. 3; Azorius, loc. cit. § *Idem quoque*. et communis; textu expresso l. II. *In quibus causis pignus*, ibi: «Non solum pro pensionibus, sed et si deteriorem fecerit habitationem culpa sua inquilinus, invecta, et illata, pignori erunt obligata.» *Concordat*, l. *Eo jure*. 4. eod. ibi: «Quæ in prædia urbana, inducta, illata sunt, pignori esse creduntur,» dummodo ea mente illuc inducta sint, ut ibi maneant, l. VII. § 1. ff. eod. ibi: «Videndum est, ne non omnia illata vel inducta, sed ea sola, quæ, ut ibi

sint, illata fuerint, pignori sint? quod magis est.»

29. *Speciale quid in prædiis rusticis observatur*. — In rusticis prædiis contra observatur, cit. l. IV. ff. *In quibus causis pignus*. «Nam in prædiis rusticis fructus, qui ibi nascuntur, tacite intelliguntur pignori esse domino fundi locati, etiamsi nominatim id non convenerit,» l. *In prædiis*. 7. ff. eod. non item aliæ res illatæ, nisi desuper expressa conventio fiat, l. *Si non*. 5. c. *In quibus causis pignus*, et § 3. *Instit. de Interdict.*

30. *Solvitur instantia contra prædia rustica*. — Non desunt quidem doctores, qui cum Glossa, in cit. l. IV. ff. in quibus causis pignus, etiam res illatas seu invectas in prædium rusticum domini prædii tacitas hypothecas manere volunt, arg. l. *Certi juris*. 5. c. *de Locat. conduct.* ibi: «Certi juris est, ea, quæ voluntate dominorum coloni in fundum conductum induxerint, pignoris jure domini prædiorum teneri.» Verum melius dicitur cum aliis, et Glossa marginali, verba de «voluntate dominorum intelligi de pacto et conventionione,» ut sint subjecta pignori: sic enim concordantur jura, quæ alias sibi contradicerent.

31. *Creditor acquirens res debitoris, an, et quando eas retinere valeat*. — Notat tamen Layman, loc. cit. ex Gailo, lib. II. observ. 12, n. 5. res a colono in prædium rusticum illatas a domino retineri posse, donec ei debita pensio solvatur ob generalem regulam usu receptam, quod si sine vitio ad creditorem perveniat, et subsit causa retinendi, res cohærens, interim retineri possit, v. g. vestis a sartore, ob non solutam mercedem, acta a procuratore, vel advoco, equum a fabro curatum, etc.

32. *Prædia rustica et urbana, quæ?* — Tandem notandum hic etiam cum Engel, loc. cit. prædia rustica dici fundos et agros, nec non ædificia pro conservandis aut colligendis fructibus extracta. Prædia urbana vero, quæ inhabitationis causa extra urbem extracta sunt, quibus annuera etiam domos in urbe conductas, arg. l. II. ff. *In quibus causis pig.* Plura de tacitis hypothecis vide apud Molinam, disp. 536; Negusan., *de Pign.* p. 2. memb. 4; Sylvester, 7. *Pign.* q. 1; Azorius, p. 3. lib. VII. cap. III. et IV. peregre.

33. *Oppignorare qui possint?* — Quæritur III. Quinam aliquid in pignus dare valeant? Resp. I. Omnes, qui rerum suarum liberam

administrationem habent, Azorius, loc. cit. c. v. l. II. et VI. c. *Si aliena res pignori*. quo refertur etiam tutor et curator, utpote qui res minorum, et pupillorum, præsertim mobiles pro utilitate eorundem oppignorare possunt, l. III. c. *Si aliena res*. l. *Tutor*. 16. ff. *de Pignorat. act.* Item etiam procurator, vel negotiorum gestor, si ad hoc speciale mandatam habet, l. *Solutum*, 11. § *fin. ff. eod.* ibi: «Si ei mandatam fuerit pignori dare, vel si habet mandatam generale» cum libera potestate, l. *Procurator*, 58. ff. *de Procurat.* Azorius, loc. cit. cap. v. q. 6.

34. *Prælatis ecclesiarum generaliter, non item specialiter hypothecare possunt res Ecclesie*. — Resp. II. Quamvis prælatis, et rectoribus Ecclesiarum absque juris solemnitate res ecclesiasticas alienari prohibitas, speciali hypothecæ subijcere non possint, prout ex communi docet Azorius, loc. cit. q. 4; Pirhing, h. t. n. 16. et dictum est supra tit. XIII. *de Rebus eccles. non alien.* arg. c. *Nulli*. 5. *de Rebus eccles. alien.* ibi: «Neque specialis hypothecæ titulo obligare:» possunt tamen eadem bona Ecclesie pro ejusdem, non item pro propria utilitate per hypothecam generalem alienare, etiam absque juris solemnitate. Ita doctores citati, et Abbas, in cit. c. *Nulli*. 5. *de Rebus eccles. alien.* et ibi Joan. Andreas, n. 1; Covarruvias, *Variar. resolut.* cap. XVI. n. 7; Molina, disp. 466. n. 1; Layman, lib. III. tract. IV. cap. x. n. 2, et alii argumento a sensu contrario: hoc ipso enim, quod ibidem solummodo hypotheca specialis prohibetur, concessa censetur generalis, ut citati argumentantur doctores qui etiam rationem disparitatis assignant, videlicet, quia per hypothecam specialem plus juris transfertur in creditorem, quam per generalem, cum periculo majori, ne a creditore alienetur.

35. *Solvitur instantia*. — Nec obstat, quem alii objiciunt, textus Extravag. *Ambitosæ, de Rebus eccles. non alien.* inter communes, ubi habetur, quod sicut omnium rerum et honorum ecclesiasticorum alienatio, ita etiam hypotheca generaliter prohibetur. Nam contra est, quod licet omnium rerum, non tamen omnis, id est, tam generalis quam specialis hypotheca prohibetur; prout consideranti patet.

36. *Debita propter Ecclesie, vel personalem necessitatem a prælato contractam solvere tenetur successor*. — Quod autem in propriam seu Ecclesie utilitatem possit bona Ecclesie

oppignorare praelatus, clare patet ex c. *Ex presentium*. 3. h. t. ubi jubetur hæres restituere rem ecclesiasticam a rectore Ecclesie pro propria necessitate (intellige) patrimoniali, non personali, uti explicat Glossa, in cit. c. *Ex present.* §. *Necessitate oppignorata*. In casu tamen quo ob aliquam supervenientem causam ad sustentationem, vel evadendam necessitatem personalem redditus, v. g. quia est infirmus, ab hostibus captus, vel quia hoc anno ob hostiles incursus redditus non percipit; et propterea vel etiam pro Ecclesie necessitate debita contrahit, rebus Ecclesie oppignoratis, debet successor similia debita solvere, et pignus redimere, Abbas, in c. *Ex presentium*. 3. n. 6. h. t.; Pirhing, h. t. n. 17. arg. c. i. *de Solut.* ibi: « Sicut filius debita patris solvere tenetur, ita praelatus sui prædecessoris pro necessitate Ecclesie contracta. »

§ II.

DE REBUS, QUÆ OPPIGNORARI, VEL HYPOTHECARI POSSUNT, ET FRUCTIBUS EARUM: UBI ETIAM DE PACTO ANTICHRYSOS, ET LEGIS COMMISSORIÆ.

37. *Res quæ vendi, et emi potest etiam oppignorari potest.* — Quæritur I. Quenam res pignori aut hypothecæ subjici queant? Resp. I. Omnis res, quæ emi vendique potest, etiam oppignorari vel hypothecari potest, nisi specialiter a jure aliter disponatur. Ita clare habetur l. *Sic et quod*. 9. ff. h. t. ibi: « Quod emptionem, venditionemque recipit, etiam pignorationem recipere potest. » Et e contra, res quæ emi, vendique nequeunt, etiam oppignorari non possunt. Nam « rem, quam quis emere non potest, quia commercium ejus non est, jure pignoris accipere non potest, » ut dominus Pius Claudio Saturnino rescripsit l. I. § 2. ff. *Quæ res pignori*. Quenam autem res emi vendique possint, et quæ non, prolixè diximus supra tit. XVII. *De emptione, et venditione*. § 2. et 3. ubi videndum, ne superflua fiat repetitio. Dixi tamen in conclusione, « nisi aliter a jure specialiter disponatur; » siquidem ob specialem juris dispositionem.

38. *Res alieno absolute oppignorari nequit.* — Limitatur conclusio I. in re aliena; hæc enim quamvis possit vendi, l. *Rem alienam*. 28. ff. *de Contrah. empt. et vendit.* tamen oppignorari absolute non potest; nam ut dicitur

l. VI. c. *Si aliena res pignori*, « per alium, rem alienam invito domino, pignori obligari non posse, certissimum est: » si tamen dominus postea ratum habuerit, valet pignus, et retrahitur ad tempus pignorationis factæ, l. *Si fundus*. 16. ff. h. t. ibi: « Si nesciente domino res ejus hypothecæ data sit, deinde postea dominus ratum habuerit, dicendum est hoc ipsum, quod ratum habet, voluisse eum retro recurrere ratihabitionem ad illud tempus, quo convenit. » Si vero ratum habere nolit, pignus ad dominum redibit, et creditori competet actio pignoratitia adversum debitorem, ut rem aliam æque bonam oppignoret, arg. cit. l. VI. c. *Si aliena res*.

39. *Bene tamen conditionate.* — Dicitur notanter « absolute, » quia sub conditione res aliena, ad quam quis spem habet, oppignorari bene potest; videlicet, « si acquisivero, » cit. l. XVI. § 7. ff. h. t. ibi: « Aliena res utiliter potest obligari sub conditione, si debitoris facta fuerit. » Imo, si quis rem alienam etiam absolute alteri oppignoret, et postmodum ejusdem rei, ex aliqua causa fiat dominus, pignus tunc valebit, l. *Rem*. 41. ff. *de Pignorat. act.* ibi: « Rem alienam pignori dedisti, deinde dominus rei ejus esse cœpisti: datur utilis actio pignoratitia creditori. »

40. *Creditor pignus habens, potest illud alteri oppignorari, et quo effectu?* — Pignus quoque datum creditori, potest ob easdem rationes alteri creditori iterum dari in pignus et in securitatem debiti a se contracti, textu claro l. I. c. *Si pignus pignori datum*, ibi: « Etiam id, quod pignori obligatum est, a creditore pignori obstringi posse, jam dudum placuit; scilicet, ut sequenti creditori utilis actio detur tandemque eum is, qui jus representat, tueatur, quandiu in causa pignoris manet ejus, qui dedit. » Hinc, si primus debitor debitum solvit, aut obligationi suæ satisfaciat, pignus apud secundum creditorem expirat, et primo debitori restituendum erit, l. *Grege*. 13. § 2. ff. h. t. ibi: « Quod si dominus solverit pecuniam, pignus quoque perimitur. » Quo tamen casu competit secundo creditori adversum debitorem suum actio, ut vel debitum statim solvat, vel eidem aliud æque bonum substituat pignus, arg. ead. l. XIII. ff. h. t.

41. *Emphyteusis hypothecari potest.* — Emphyteusis quoque, etsi res aliena sit, quoad dominium utile hypothecæ subjici de jure communi, non item de jure Bavarico posse,

jam supra tit. *de Locat. conduct.* n. 183, dictum est, et late probat Schmidt tit. XXI, a 15, n. 12, etc. Cæterum.

42. *Instrumenta ad agriculturam spectantia non possunt oppignorari.* — Limitatur conclusio n. 37, allata secundo in instrumentis aratoris et rebus ad agriculturam destinatis, l. *Executores*. 7. c. *Quæ res pignori*, ibi: « Executores a quocunque judice dati ad exigenda debita ea, quæ civiliter poscuntur, servos aratores, aut boves aratorios aut instrumentum aratorium pignoris causa de possessionibus non abstrahant. » Ratio ibidem redditur, quia nempe alias tributorum illatio retardaretur. Concordat, l. *Pignorum*. 8. et Auth. *Agricultores*. c. eod. Putat tamen Negusant. consuetudinem obtinuisse, ut res aratoris, vel agriculturæ pignori serviant. Quæ consuetudo an ubique vigeat, specialiter ubique videndum.

43. *Creditor invito domino non potest sibi pignus.* — Quæritur II. An creditor ut possit pignus sibi a creditore in securitatem tradito? Resp. Inscio et invito debitore creditor non potest uti pignore sibi dato; si utatur, furtum committit, actioneque furti conveniri potest, non quidem secundum æstimationem pignoris, sed quantum æstimatur usus illius habitus. Molina, disp. 535. cum communi ac certa; l. *Qui jumenta*. 40. l. *Si pignore*. 54. ff. *de Furtis*. ibi: « Si pignore creditor utitur, furti tenetur. » Idem habetur § *Furtum autem*. 6. Instit. *de Obligat. quæ ex delict.* ibi: « Furtum autem fit, non solum cum quis intercipiendi causa rem alienam amovet, sed generaliter, cum quis alienam rem invito domino contractat. Itaque si creditor pignore utatur, etc., furtum committit. »

44. *Bene vero cum expressa, vel prudenter præsumpta voluntate domini.* — Dicitur autem notanter « inscio et invito domino, » nam si cum expressa, vel prudenter præsumpta libera voluntate domini creditor utatur pignore tradito v. g. libris, supellectile, annulo, etc., nec furti nec alterius delicti reus erit; ut cum Navarro, in *Manual.* cap. XVII. n. 203; Sylvestro, §. *Pignus*. n. 7; Molina, loc. cit.; Abbate, et aliis docet communis, a. g. cit. § *Furtum*. Instit. *de Obligat. quæ ex delict.* ibi: « Invito domino, » etc. Ratio est, quia « scienti, et consentienti non fit injuria, neque dolus, » Resp. 27. Jur. in 6.

45. *Dummodo consensus vere sit liber.* —

Dummodo talis consensus debitoris sit vere liber, et non mixte involuntarius, eo modo, quo cum mixto involuntario quis solvit usuram, utpote alias mutuum non obtenturus; hoc etiam in casu, si creditor pignore ob mutuas sibi pecunias dato utitur, usuram committit, uti bene n. præced. citati doctores, inter quos Sylvester, et Navarrus cum Divo Thoma 2. 2. q. 78. docent, id ordinarie in usu pignoris fieri, nisi pignus sit talis res, quæ inter amicos sine pretio concedi solet, ut sunt libri, supellex, etc.

46. *Fructus ex pignore creditor quidem percipere, sed dein in sortem computare debet.* — Quæritur III. Quid juris de fructibus rei oppignoratæ vel hypothecatæ? Resp. I. Quamvis creditor possit ex pignore sibi tradito fructus colligere, eosque, si servando servari non possint, etiam vendere, debet tamen postea eos computare in sortem, ita ut in tantum minuatur debitum, in quantum de fructibus ex pignore percipit: imo totum extinguatur, pignusque restitui debeat, quamprimum fructus percepti totum debitum exæquant, quod si superant, una cum pignore restitutio superflui quoque fieri debet. Ita communis et certa, claris juribus l. I. c. *de Pignorat. act.* ibi: « Ex pignore percepti fructibus imputantur in debitum: qui si sufficienti ad totum debitum, solvitur actio, et redditur pignus: si debitum excedunt, quæ supererant, redduntur. » Concordat, l. II. et ult. c. eod. et c. *Cum contra*. 6. h. t. ibi: « Cum secundum canonicas sanctiones fructus restitui, et in sortem debeant computari. »

47. *Fructuum nomine quid veniat?* — Ratio est, quia quævis res domino suo fructificat, dominus autem pignoris est debitor non creditor, l. *Pignus*. 9. c. *de Pignorat. act.* Hinc c. i. et ii. *de Usuris*. censetur usurarium, ex pignore lucrifacere fructus rei oppignoratæ. Veniunt autem fructuum nomine illi soli, qui supersunt deductis expensis, l. *Fructus*. 7. ibi: « Fructus eos esse constat, qui deducta impensa supererunt. » ff. *Solut. matrim.* c. i. *de Usuris*, ibi: « Deductis expensis, » ac etiam lucro cessante, et damno alio emergente, Engel, h. t. n. 10. arg. can. *Precarie*. 4. § 3. can. 10. quæst. 2.

48. *Fructus quoque, quos percipere potuisset, et non percepit, restituere debet.* — Resp. II. Debet creditor modo præfato in sortem computare fructus non tantum perceptos, sed etiam illos, quos percipere po-